



**M**artinus in Suevia natus & educatus fuit. Is post prima literarum rudimenta feliciter facta sese hinc inde ad academias Germaniae contulit, & bonas artes egregie didicit. Inde ad Theologiam conuersus, in ea facultate adeo profecit, ut Heidelbergae S. Theologie Licentiatus constitueatur, atque sacras literas ibi publicè profiteretur. Erat insuper religioni deditissimus, & magna facundia præditus. Id cum Vlmensis respubl. intellectus set, statim post Ecclesiæ suæ reformationem hunc Martinum ad se uocarunt, & suæ urbis primarium Ecclesiasten elegerunt. Eam functionem is magna laude diu administravit, & omnibus gratissimus fuit. Cum autem in Cœnæ negotio contentio quædam inter Euangelicos esset, ipse cum Bucero et Musculo in Saxoniam ad Lutherum profecti 1536, eius sententiæ ferè subscripserunt. Postea Frechtius 1546 in colloquio Ratisbonæ fuit, & cum aduersarijs pro sua eruditione disputauit. Cum autem Cesar bello Smalkaldico uictor esset, & Auguste Vindelicorum religionis causa comitia celebraret, Magistratus Vlmensis (Granuellani rogatu) petierat à Frechtio, ut Augustam profectus, negotium religionis adiuuaret, & ad Pflugium, aut Sidonium, aut Islebium diuenteret. Ille quod & suspectam rem haberet, & quod è reliquis ciuitatibus nemo sui ordinis adesset, recusauit.